Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ Aprilis.

M. PETRO PAULO GUYART, Doctore Medico, Præside.

An Coma adscititia, nativâ salubrior?

CUTIS totius corporis involucrum & emunctorium, innumeris pervia spiraculis, & exilibus est, ut quod partibus alendis ineptum, feliciter exigatur, insensilis fiat transpiratio, sudoribus, vaporibúsque detur exitus. Si ex æquo pateant cutis meatus, partes internæ beantur, fuliginibus sese expediunt, & amicum admittunt aërem, quo recreantur; si arctentur nimis, aut fuliginosi illi vapores in viscera resiliunt, morbos gravissimos parituri, aut in cute resident, eam omni sordium genere inquinaturi. Cutis in sui, totiúsque corporis perniciem pilos alit, illorum segete obstipantur pori; hinc prima malorum labes. Felices Aves & Volucres, quibus statutis anni temporibus plumæ decidunt! Felix Lacertorum, Serpentum, Anguium, ceterorúmque Animalium omne genus, quod exuvias semèl, aut bìs in anno deponit! His exutis novas resumunt vires; Elephas dùm dentes, Cervus dùm cornua, Pisces dùm squammas, Arbores dùm folia verè proximo renascitura exuunt, spoliis depositis, fiunt vegetiores. Infelix Homo alit capillitium, nì aut morbo, aut senectâ decidat: meliùs sibi consuleret, si identidèm se sineret abradi!

PRÆCIPUA viventis dos, sanitas; hæc stat in legitima partium temperie, conformatione, & debita conjunctione. Conspirent hæc tria amicè, quidquid vivit, pulchrè vivet, stabunt inculpatæ totius corporis functiones; sin minùs, eas minui, depravari, aut aboleri necessum est; hoc triplex sanitatis fœdus multa solvunt tùm interna, tùm externa; ast ille amabilis partium consensus præpeditâ transpiratione maximè dissociatur; quæ denegata omnium ferè morborum parens est, quæ concessa, & morbos antevertit, & vel ipsas malignas febres dijudicat. Eat, redeat sine obice sanguis, excernendis viæ pateant, vigebunt cuncta; partes tamen primæ coctioni dicatæ perbellè exigant excrementa, liberæ sint viæ urinariæ, nì pateant cutis spiracula, omnia pessumibunt: adeo insensilis transpiratio est necessaria. Hanc quæ juvant, prosunt, quæ præpediunt, nocent.

IN gratiam naturæ artes inventæ coluntur, si quid natura peccat, ars in subsidium venit; colligatur excrementorum proluvies, quâ se se natura expedire nequeat, ars naturæ obstetricabitur, sordeat externus corporis habitus, artis beneficio fiet nitidior, obstructæ patebunt viæ; hìnc termarum, lavacrorum, balneorum apud antiquos frequens usus; pilorum silva iniquè luxuriet caput, hanc malam segetem novacula feliciter demetet, liberior fiet transpiratio, nec blattis tineísque erit domus hospita; nec turpi insectorum grege cutis inquinabitur, ab hac sordidissima familia, ψιλώθρων ope solebant antiqui se vindicare; frequentiori tamèn eorum usu pori fiebant angustiores, libera non fiebat transpiratio, sic vitata scilla incidebant in charybdim. Cultri tonsorii præstantior est usus, nulla excipitur noxa, crinibus abrasis rudíque velamine deterso fuliginibus datur permeare, ne tamèn orbum crinibus caput injuriis pateret externis, quos ars præscindit crines, eos factitia cæsarie summo cum fœnore, summa cum utilitate reponit.

ADSCITITII capillitii multæ sunt dotes, ardente Syrio illud ventilationis causâ cuilibet licet deponere, & detersis sudoribus, rursùs resumere, quò fit, ut madenti priùs capiti non leve accedat solatium; sicut enim indusia, & lintea desinente crisi mutantur, & recentia priùs igni exposita substituuntur; sic æstivo tempore dùm madore diffluit corpus, linteis detergendum est, præsertímque caput, quod vix fieri potest, si pilorum obstet luxuries; nec minùs hyemalitem pore utilis est Coma artefacta; hæc adversùs aëris ambientis frigus crinibus nativis valentius est munimentum, positâ præsertìm intùs bubula cucufa, quæ quod per poros exigetur resorbeat, nec sinat acervari; non solùm facta manu Coma plurimùm sanitati confert, sed formæ decori. Testes sint illi cani amasii, quibus canities tædio est, & qui exoticâ Comâ juvenilem mentiuntur ætatem, quâ turpis tegitur calvities; sic qui propudiosum crinium colorem detestantur, aut eorum raritatem lugent, arte vitia reparant; aut saltèm occultant; ut enim dentium artificialis positio est utilitati & ornamento, sic & Coma artefacta.

UT in triclinio fumo referto, nì ostia reserentur, aut pateant fenestræ, quà fuliginosi vapores, in auras diffusi evanescant, adstantium plerique animo deficiunt, sic obstipatâ cute humorum nebulæ, & caligines intùs coërcentur, bellàque movent non finitura, nì priùs laxatis cutis meatibus, illis detur erumpere; cutis constrictione omne morborum cutaneorum genus emergit, hinc serpigo, impetigo, vituligo, scabies, tineæ, elephantiasis, quarum malignis ichoribus introactis, partes internæ non leviter afficiuntur; vanum igitur, imo & noxium pilorum omnium, & turpem barbæ apparatum abradat, qui, & sanitati, & munditiei studet innumeris morbis hispida cutis afficitur, quibus nuda exors est; dubitas? Nonnè Remis damnatis capillitium superiori jure abraditur, nè inquinent, aut inquinentur; nonnè pueri qui in nosocomiis educantur, sunt sincipite raso? Nonnè etiàm plurium ordinum religiosissimi viri, crinium nativorum supellectili, aut tanquàm inutili, aut tanquam nocituræ vale dixerunt, quibuscum, nos quoquè vale dicimus.

Ergò adscititia Coma, nativâ salubrior.

Asserebat Parisiis ALEXANDER-PETRUS MATTOT, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1691.